



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 6. Quosnam Episcopus potest licitè Ordinare?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

cramentorum valorem tenemur sequi in praxi partem tutiorem, relictâ incertâ licet probabiliore.

Q. 5. Quisnam est Minister Ordinis?

Resp. Solus Episcopus est Minister Ordinarius omnium Ordinum, ex Florent. & Trident. sess. 23. cap. 4. & can. 7. Ex commissione tamen Papæ simplex Sacerdos conferre potest. 1. Tonfuram & Minores Ordines, ex Trid. c. 10. id apertè supponente, & ex praxi recepta: nam Cardinales in propriis Ecclesiis, & Abbates eos de facto conferunt. 2. Subdiaconatum, ut fatentur omnes, & de facto hoc privilegium Abbatibus pluribus concessum est. De Diaconatu negant multi.

Episcopatum verò & Sacerdotium nunquam conferri nisi ab Episcopo constat ex traditione, & perpetua praxi Ecclesiæ, in qua nunquam ab alio collata sunt.

Q. 6. Quosnam Episcopus potest licitè ordinare?

Resp. Solos suos subditos, vel habentes Dimissorias, vel speciale ad id privilegium, ex Trid. sess. 23. c. 8. ubi ordinans subditum alienum sine consensu & testimonio proprii Ordinarii de probitate & moribus ordinandi suspenditur ad annum à collatione ordinum: ordinatus verò ab executione Ordinis suscepti, quandiu videbitur proprio Ordinario. Ite non licet Episcopo ordinare etiam suos in Diocesi alterius sine hujus consensu.

Porro

Porro ex triplici capite quis censetur subdi-
tus alicujus Episcopi, ut possit ab eo ordinari.

1. Ratione Originis: quia nempe in ejus Dice-
cesi natus est. 2. Ratione domicilii, quia in
ejus Dicecesi habitat animo ibi perpetuo ma-
nendi. 3. Ratione Beneficii, quod in ejus
Dicecesi possidet, ex c. 3. *de tempor. ordin.* in 6.
in Gallia tamen habetur ratio solius Originis.

Not. Omnis & solus mas Baptizatus potest
validè ordinari, non tamen invitus.

Q. 7. *An servanda sunt interstitia?*

Resp. Conc. Trid. sess. 23. c. 11. statuit, ut
Minores Ordines per temporum interstitia
conferantur, nisi aliud Episcopo expedire magis
videretur. Inrer ultimum autem Ordinem
minorem usque ad sacros Ordines annus in-
terjiciatur; nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas,
judicio Episcopi aliud exposcat. Ibid. à Subdia-
conatu ad Diaconatum, & ab hoc ad Sacerdo-
tium similiter annus interjici debet, ex cap.
13. & 14. Circa quæ interstitia Episcopus di-
spensare potest ob Ecclesiæ necessitatem vel
utilitatem. Sed non potest sine dispensatione
Papæ duos Majores Ordines una die conferre,
ex c. 13. cit. & c. *litteras de tempor. Ordin.*

Porro Minores Ordines conferri possunt
Dominicis & aliis festivis diebus. Sacri ve-
rò solum Quatuor temporibus, aut Sabbato
Sancto, vel Sabbato de Passione, c. *de eo de
tempor. ordin.* Tonsura autem Clericalis quo-
cumque die & horâ.

Q. 8.